

S Y M B O L A

Varia diversorum

PRINCIPUM,

Archiducum, Ducum,

Comitum & Marchionum

Totius Italiæ.


Cum

FACILI ISAGOGE

D. ANSELMI de BOOT

Brugensis, Sac. Cæs. Majest.

Aulæ Medici.



ARNHEMIA,

Apud Viduam JOH. FRID. HAGEN

A. 137. Typograph. Ord. Curiæ Gelriæ,

M. DC. LXXXVI.

Alexander Medices Florentiae Dux Primus.



L HIEROGRAPHIA MA-
GNORUM DUCUM HE-
TRURIÆ.

NON BVELVO SIN VINCER,

Id est,

NON RECEDO NISI VINCAM.

ALEXANDER iste cum Margaretham Au-
striacam Imperatoris filiam duxisset in
uxorem, ac Thusciam æquissimè regeret, seque
optima corporis constitutione præditum ani-
madverteret, voluit rebus bellicis se clarum red-
dere, ac gloriæ causâ, pro parte Imperatoris se
quodvis periculam subire, imo vel vincere vel
occumbere velle, narrabat. Ad hunc scopum
cum Hierographiam quæreret, nulla hac aptior
visa fuit; Rhinoceros enim ad pugnam adnatis
armis instructum animal Elephantem aggredi
solet, ventremque tanquam cæteris partibus
molliorem cornu, quod in fronte vel tergo ha-
bet, petit, eo animo, ut non decedat à pugna, nisi
Elephantem prostraverit & interficerit. Ob id
convenit Symbolo Hieroglyphon, NON
BVELVO SIN VINCER, hoc est, non recedo
nisi vincam, Rhinoceros enim (ut ait Poëta)
nunquam vietus ab hoste recedit.

II. HIEROGRAPHIA.

PREMITVR NON OPPRIMITVR.

Vt Sol planetarum omnium maximus, & anima quasi totius orbis, tanto fulgore præditus, ut ubique præsens luce sua radiisque esse videatur, nihilominus tamen objecto Lunæ corpore radios per aliquot temporis momenta mittere non potest : ita magnorum virorum animi & studia fortunæ injuriis & calamitatibus sic interdum premuntur , ut vix videantur posse emergere. Tandem tamen, ut Sol descendente Luna pristinam faciem recuperat, suosque radios quoquo versum diffundit; ita etiam constantium Heroum animi ab infortuniis ac calamitatibus liberati, veterem exercendæ virtutis magnarumque gerendarum rerum consuetudinem recuperant; ut verè NON OPPRESSOS , sed PRESSOS tantum fuisse, dicere possint. Hoc Symbolum etiam pulchre veritati accommodari potest : Veritas enim una est, ut Sol; duplicita & multiplicia sunt veritati contraria. Vt autem Sol nunquam OPPRIMI potest, sed tantum PREMI, cum videlicet Luna illi opponitur ac impedit, ne ipsius radii ad nos pertingant ; ita nec Veritas, quæ et si aliquando prematur & cæletur, tempus tandem in lucem profert, cuius filia esse dicitur.

III.HIE-